



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 101. Res in Italia durante hac expeditione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

**Sæcul. XVI.** exceptis centum octoginta , quibus ta-  
A.C. 1522. men paulopost itidem vitæ veniam in-  
dulxit. Nec sine ingenti repugnantia Pe-

trum de Ayala Salvaterræ Comitem ex-  
tremo supplicio addixit ; verum tam e-  
normia illius erant scelera , quæ ipsa  
etiam generis sui nobilitas adeo atrocia  
reddebat , ut clementiæ locum haud ul-  
tra relinquerent.

### §. CI.

#### *Res in Italia durante hac expeditione.*

Pessimo loco res in Italia erant , nam  
Prosper Columna , cum æs militare  
deficeret , potissimis exercitus sui copiis  
missionem fecit , hinc Imperator ex pe-  
cuniis , quas ab Angliæ Rege mutuas ac-  
ceperat , inclinas res haud parum ere-  
xit ; quippe aliquam dictæ summæ par-  
tem Columnæ & Piscario transmisit ,  
quibus ambo Belliduces auëti Franci-  
scum Sfortiam non tantum suo Ducatu ,  
sed ipsi etiam Medidolanensi urbi redde-  
re aggrediebantur. Hanc in rem Hie-  
ronymus Adornius operam suam obtu-  
lit , ut Sfortiam adjuvaret , eumque  
Tridento , ubi sextum jam in annum hæ-  
serat , Mediolanum reduceret ; enimve-  
ro promissum suum non minori dexterite-  
tate , quam successus felicitate executus  
est ; quippe cum Grifonum Respublica  
transi-

transitum denegaret, Bergomum ver-  
fus iter suum direxit, ac sex millibus  
Germanorum peditum conscriptis Sfor-  
tiam præfecit, ipse vero cum his copiis  
fene Cæsaris exercitui conjunxit, Lau-  
treco transitum ejus nullatenus remo-  
rante.

Sagell. XVI.

A. C. 1522.

## §. CII.

*Gallorum exercitus sexdecim Helvetio-  
rum millibus auctus.*

**E**quidem Cæsaræ nullum non move-  
bant lapidem, ut Helvetios a Gal-  
lorum stipendiis averterent, nihilomi-  
nus iidem sexdecim millium suppetias  
Lautreco submiserunt, quorum numero  
auctus foederatis superior evasit. Duce-  
bant hasce Helvetiorum copias Sabau-  
diæ Nothus, magnus Franciæ Magister,  
Cabannius Marescallus, & Galeatius  
Sanseverinas; Interea Foederati tam  
valido hostium subsidio turbati, cunctas,  
quæ eis adhærebant urbes, deferere con-  
stuebant, ac earum duntaxat quatuor  
defendere parabant. Has inter erat No-  
varra, quam Philippus Tornellius cum  
duobus præfidiariorum millibus tueri  
promiserat, secunda fuit Alexandria,  
cui Hector Vicecomes cum mille quin-  
gentis peditibus præerat, reliquæ duæ  
erant Papia, ac civitas Mediolanensis,  
quarum primam Antonius de Leva cum

M 2      duobus